

« *prosequamur, ipsi Nobis gratulemur quod cum in florentissima*
 « *civitate Antistitem sacrorum fecerimus, cuius creatio suffragiis*
 « *unanimis probaretur.—In ceteris autem quæ narrabas, illud plane*
 « *novum accidit Nobis atque ideo periucundum, ephemeridum publi-*
 « *carum scriptores, quotquot Marianopoli censeantur, nullo partium*
 « *politicarum aut religionis discrimine, ad unum omnes convenisse,*
 « *tibi, discedenti Romam, de suscepto munere lætatos. Ex quibus,*
 « *qui catholici numerantur, observantiam testati suam, se ultro tibi*
 « *perpetuoque sponderunt audientes dicto, tam in iis quæ ad rem*
 « *morum, quam quæ ad religionem universæ Ecclesiæque discipli-*
 « *nam pertinent ; omnes porro, vel ii etiam qui a catholicis dissident,*
 « *tibi se, ad commune civitatis bonum provehendum, studiose obse-*
 « *quuturos promiserunt.—Fauste profecto tibi, Venerabilis Frater,*
 « *feliciterque evenit in hac scriptorum concordia. Etenim cum expe-*
 « *riundo liqueat, quæ in vulgus, sapienter nec posthabito Episcopo-*
 « *rum consilio, ephemerides eduntur, valere admodum ad præposte-*
 « *ras coercendas opiniones veritatemque illustrandam ; haud sane*
 « *exiguum, ex perspecta scriptorum voluntate, subsidium habes ad*
 « *animos honeste recteque imbuendos eaque prosequenda, quæ ad*
 « *commune commodum et tranquillitatem faciunt.—Nos quidem*
 « *Marianopolitanis ephemeridum auctoribus officium in te ac propo-*
 « *situm patriæ perutile laudi vertimus. Catholicis præterea qui,*
 « *verbis tuis, Sedis Apostolicæ magisterio inerranti addictos se atque*
 « *obsequentes professi sunt, benevolentiam Nostram vicissim testa-*
 « *mur, eosque volumus commonefactos, Nos patriæ ipsorum, quippe*
 « *quam paterno præcipuoque studio adamamus, sedulitate omni*
 « *prospecturos, ne quid animorum concordia detrimenti capiat.—Tibi*
 « *demum, Venerabilis Frater, secunda quæque in suscepto honore*
 « *adprecati, apostolicam benedictionem, Pontificiæ caritatis testem ac*
 « *munerum divinorum auspicem, cleroque simul ac fidelibus Maria-*
 « *nopolitanis universis, peramanter in Domino impertimus.*

« *Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXIII Novembris M.*
 « *DCCC. XCVII Pontificatus Nostri anno vicesimo.*

LEO XIII, papa.

**A Notre Vénérable Frère, Paul Bruchési,
 archevêque de Montréal, LÉON XIII, PAPE.**

Vénérable Frère, salut et bénédiction apostolique.

« Nous avons été très heureux d'apprendre de vous la joie de la